Ad Quodlibetariam Quaestio Medica
Matutinis agitanda disputationibus die Jovis 22 Decembr. In Scholis Medicorum Paris.

M. Antonio Duiquebeuf D. Medico Praeside.

An Cholerae Phlebotomia?

Commune omnium Medicorum scopum duplex comitatur secta: Medicorum innumerae classes: omnium institutio potius demonstrationi quam experientiae debita, quae in recta applicatione consistit. Hinc in Empiricos itidem Dogmaticosque divisae: Illi ad sola attendunt symptomata, et ab iis suas omnes mutuantur indicationes: hi in morbum morbique naturam incumbunt, cuius notitiam per solam functionum actionumque laesionem possunt assequi, et a quo Medicorum omnium sola curatio dependet.

Ventriculus chylosi dicatus diversa gravissima patitur symptomata: λειεντερία persaepe sequitur, et parvum nausea: convulsio, quae superveniens purgationi mala: βούλιμος quibus ὀρέξις solvitur: μαλακία mulieribus, quam vix familiarior sitis quam somnus, quin nausea navigantibus crebra: vomitus, qui aestate tantum praecedit dubie, imo etiam hyeme; et omnium symptomatum periculosissimum cholera.

Juvenibus familiaris et biliosis affectus, senibus rarus et periculosus: aestate et autumno crebrior, vere et hyeme rarior fuit. Causa tam subiti mali modo a crudis et flatulentis edulis, modo a corruptis et ἀπέπτοις proficiscitur, nonnumquam a causticis et corrodentibus medicamentis. His omnibus accedit calida sicca viscerum intemperies, praecordiorum ingens aestus et ardor, hepatis phlogosis cum materia biliosa, quae omnia ingesta sibi assimilat calida potissimum ut vinum et piperata.

Cuius duae sunt species, altera calidorum humorum orgasmo, altera mordacium flatuum copia definitur: utramque signa spectantibus horrendis comitantur, stomachi laesio, ventris tormina, sitis et inextinguibilis, ἀποσιτία, respirationis celeritas, pulsus frequentia ac parvitas, extremorum frigiditas, ἰσχουρία, surarum contractio, totius corporis ingens rigor: in hac nihil sursum, deorsum rejicitur; in illa secessus, vomitusque modo biliosus, modo pituitosus, utque initio serosus adest.

Periculosa in tanto affectu (ut in acutis omnibus) mora: tentanda omnium citissime curatio: cohibendus tam effrenis humoris impetus: evacuanda causa coniuncta vomitu et clysmatis, non neglecta antidotali, quae refrigerantia ac roborantia postulat. Exhibenda in potu frigida, aut vinum frigida dilutum: sorbenda saepius iuscula lactuca et oxalide alterata: cucurbitulae infra umbilicum admovendae: frictiones faciendae in artubus, et ligaturae: provocandus somnus: imperanda vena sectio, quae prae caeteris non solum praecordiorum aestum temperat, verum etiam quia data porta veluti omnes humoris impetum citissime sistit, ac cohibet.

Ergo Cholerae Phlebotomia.

Asserebat Stephanus Lafont Arvernus, Anno Domini. 1605.

D. Doctores disputaturi.

M. Franciscus Ellain.
M. Germanus Clersellier.
M. Robertus le Becq.
M. Ricardus Marcetz.
M. Simon Bazin.
M. Nicolaus Piet.
M. Claudius Faunelet.
M. Nicolaus Marchant.
M. Franciscus Du Port, Decanus.

F.M.P. BIBLIOTHÈQUE